

lege. Demetrius, seculi IV initio Theſſalonicæ paſſus, præ reliquis apud Græcos eſt celebris. Poſt commentarium prævium tres exhibemus vitas ſeu paſſiones, quarum tamen nulla, quòd omnium antiquior ſeculum VIII forſan haud præceſſerit, fidem integram meretur. Vitis ſubjungimus primò miracula, tribus libris comprehenſa; deindè verò etiam analec- ta de unguento potiffimàm, quod de Demetrii tumulo ſtillat, olimve faltem ſtillavit. Janua- rius, Fauſtinus, Martialis, Privatus, Eraclus & Julianus MM, ſeculo incerto Antiochiæ paſſi, haud aliundè quàm ex Hieronymianis, è quibus illos unà cum Dionyſio ep. & Pela- gia recenſuimus, ſunt noti. Neſcitur etiam, quo ſeculo paſſus ſit Petrus M, Hiſpali in Hiſpania Bœtica cultus. Amoris conf. qui IX forſan ſec. floruit, geſta ſacrumque Belifiæ ac vicinis in oppidis cultum exponimus in commentario, vitis geminis. quas edimus, præmiſſo. Diem IX aperit Abraham, patriar- charum maximus. E duabus ſententiis, quarum altera hunc LXX, altera CXXXI Tharæ patris ſui anno natum ſtatuit, poſterioreſ ut veri- ſimiliorem amplectimur, ac dein de nonnul- lis celeberrimi viri geſtis operoſè diſſerimus. Nec tantùm hunc in finem Scriptura ſacra uti- mur; ſed & SS. Patrum, hiſtoricorum inter- pretumque commentationes Moſaicæ narratio- ni ſubinde adjungimus, commentario etiam cri- tico-hiſtorico, quo hæc præſtamus, intextis ad calcem nonnullis, quæ de antiqua ſanctiſſimi patriarchæ veneratione, ſacrarum reliquiarum inventione legitimoque in eccleſia etiam latina cultu comperimus. Domnini ſeu Donnini marty- rium & cultus eſt certus; fidei verò incertæ va- ria, quæ de eo exſtant, acta. Horum antiquiora è codice Fuldenſi commentario prævio ſub- necimus. E folis Hieronymianis duas exhibe- mus Martyrum claſſes, quarum prima Atticum, Luddulum ſeu Lugdulum, Septimum & Ju- lium; ſecunda verò unà cum Primina, Mar- cellum ſeu Marcellinum, Geminum ſeu Genui- num, & Nuvium ſeu Nivium complectitur. Trium poſteriorum ætas, priorum autem quæ